

V, 1-53.


[Zum Domgymnasium Halberstadt]

~~Va 1-53 pg 55-57a~~

~~Zcpo/ B 5~~

~~504~~

A-55.



1.
7
ORATIO
De
DOCTRINA
&
DISCIPLINA;
FIRMIS SCHOLARUM
FVLCRIS,

7 vssv
Summe Reverendorum, Illustrium & maxime
Generosorum Dominorum, rei scholasticæ in Cathe-
drali Diæcesios Halberstadensis schola præ-
fidum

VI. Nonas Maii
ab Ioc LXXIV.

ab

ARNOLDO RETBERG
Scholæ ejusdem designato **RECTOR**
HABITA,

Eorundem Gratosorum Dominorum impensis
publici Juris facta.

G O T T I N G E

Imprimebat Justus Nihtmann,



ORARIO
OGGI
ALMIRANTE
DIA 21 DE MARZO



78 L 1785

L 57





Summe Reverendi, Illustres & maxime Generosi Domini, Nobilissimi, plurimum Reverendi, Amplissimi & Consultissimi, Clarissimi, Humanissimi, Eximii & Dotissimi Viri, Domini Patroni, Fautores & Amici honorandi, Vosque in spem patriæ educandi Adolescentes.

Non communibus miseriis, quibus orbis christianus, quā ferme patet, premitur, passim à prudentibus rerum censoribus numeratur, ea maxime ægra & deposita pars publicæ salutis, quæ circa scholas occupata esse debebat. Ut ne altius repetamus calamitatem istam fundi scholastici, secretasque bonorum indignationes exponamus: volumina plena querelarum extant, docentia, non quærere multos, è re scholarum quid sit, non excutere, qui condendæ, non scrutari, qui conservandæ; eos, quos rerum public. clavis admotos videmus, nihil ad se pertinere, arbitrari, quæ scholastica spectant, paucos admodum de his laborare. Derivata est ejusmodi miseria ad nostrum seculum, eo successu, ut majora semper nacta incrementa, caput oppido multis in locis erexerit, & cum barbarie, veluti pro tribunali sedere gestiat. Investigaturis tantæ cladis causas binæ se offerunt, à quibus, ceu fontibus, reliquæ omnes, uti inde à conditu mundi, ita usq; ad nostram ætatem omne malum promanavit, à quibus disseminarum. Qui sanctissimæ civitati Dei semper insidiatus est, illi hæc consuetudo perpetua manet, turbare quicquid miserrimæ hominum

A 2 vitæ

vita salutare esse potuit. In primis infensissimus hostis impedit ea bona, quæ animum nostrum ad amissam felicitatem transducere possunt: quorum cum fundamenra in scholis percipi debeant, qui has impugnet, subruat imo destruat, nihil non omnibus seculis intentatum reliquit. Præacutas fides adversus scholas corripuit nostris moribus, easdem, quod tamen Deus nunquam permittet, pessundaturus. Sufficere non se solum stragi edendæ cum didicerit, mature edocti sunt ab eo pessimas artes, manibus strenui, pacis artium & omnis bonæ disciplinæ osores; quorum indignatio nunquam moderata fuit; Ita post Galbam multi Galbae, post Julianum Juliani fuerunt. Armavit tanquam gladiatores in omnia, quæ benignissimi Numinis sunt, omni ævo pessimos homines, vimque unitam fortiorem, adversus scholas omni conatu usurpavit. Nec tamen eventus respondit, superstibus artium & disciplinarum officinis, vigenteq; in illis pietatis, honesti & eruditionis amore satis eximio. His temporibus, quib. orbis vicinus ardet bello, terræque affines non exiguam cladem ea propter sentiunt, ingens impedimentum honestis studiis hinc nascitur, sedibus cedere Martis pulli Apollineos alumnos jubent: Musis ipsis, quod relictum est hospitium, multis in locis turbatur, multis in locis clausum auditur. Legionarii, auxiliarii, præsidionarii, evocati, speculatori, ferentarii, castrenses, comitatenses, cohortalini, id auferunt, unde honesta studia ali & conservari debebant. Collabuntur eapropter Gymnasia, intercidunt Scholæ. Sic ubi Musis de commoditate prospiciatur, iis rebus adscribitur, quæ Deus clementissimus, certæ saluti & solatio afflictarum ditionum destinavit. Resuscitata in igitur Rev. adm. C. curam & sollicitudinem, de erigenda ad gloriam divi-

divini Numinis schola ampliore, extollendis ad immortalem laudem artibus humanitatis, mirantur atque efferrunt, qui honestis studiis ætatem ac famam precantur. Nihil Illustri Capitulo ex ista laude multi Principum, nihil vicinum aliquod collegium, nihil ordo æqualium, nihil ordo plebejorum, nihil ullus omnino hominum decerpit. Vobis, Gratiisi Domini, concedunt omnes hanc gloriam, & laudem illam vestram esse totam & propriam omnes fatentur. Prorsus admirandum consilium de schola augenda, tali rerum statu, quo nemo mortalium nil nisi bellica ob oculos habebat, susceptum, decuriatis militibus, florem juventutis in curiis scholasticis decuriatum, evidenterissimum argumentum literarii ludi dignitatem à Rev. Capitulo summopere æstimari, cum veneranda antiquitate labores scholasticos Sabbatho affines haberi, negotiaq; Patris cœlestis ad effatum glorioissimi Servatoris operas scholasticas pie censeri. E seculo octavo Scholasteria ad hodiernum diem retenta, suo loco scholam esse, tam docet quam quod maxime. Necessitatem & utilitatem certam à Rev. Cap. haberি, largissimæ in docentes & discentes impensæ, consilium à vindice & propagatrice omnis bonæ eruditionis JULIA, petitum, clarissime demonstrant. Illa minime vulgaria cum provida divini Numinis cura præcedente exacte congruentia, animum impulerunt R. C. Patronis venerandis, Amicisq; colendis, ut debitum obsequium præstarem, & oblatam Spartam non subterfugere, receptoque per scholas more pro capessenda ea brevi Oratione ostenderem: Scholarum firmitudinem & stabilitatem post divinam benedictionem, à solida & liberali doctrina, proba & castigata disciplina dependere, & scholis esse, supra quam dici potest, salutares.

Domi-

Dominis meis Gratiolis observandisque Fautoribus &
Amicis commendaverit orationem brevitas, quam stu-
diose sectabor, & argumentum, circa quod non sine vo-
luptate eorum quæ probe me ininerunt, recordabuntur.
Adolescentes in spem patriæ educandi, publicæque sa-
luti consecrati, candem lubenti animo cognoscent, cum
perenni emolumento ipsorum, hæc, & divino auxilio ex-
antlandi in posterum labores destinati sint. Principio igi-
tur nemo dubitabit, qvin secundum pietatis & religionis
cultū in hoc cardo operarum scholasticarum potissimum
versetur, ut literarum studiis adolescentes imbuantur: si-
quidem docentium & dissentientium cœtus, ex re & vero
constitutus, audit seminarium, in quo vera de Deo do-
ctrina, bonæ literæ, artes & linguæ, ad cœlestis doctrinæ
nec non vitæ communis ac privatæ conservationem ne-
cessariæ, dextre proponuntur & inculcantur. Quamdiu
itaque hæc constant & deprehendi in schola quapiam
possunt, securos præstabunt omnes nos, quos scholæ cu-
ra tangit, de norma, quæ instar Lesbiæ regulæ cursum di-
scendi & docendi dirigere debet, latum unguem non esse
discessum. Fine in negotio quodam præsente, indicium
fit, media justo ordine observata; pietatis exercitium, ho-
nestatis & bonarum artium cultus, exponunt, fulcris ne-
cessariis gaudere eum locum, qui alias innumeris est ex-
positus periculis, quem mali spiritus destruerent, quem
horum organa funditus eversum vellent, inflammarent,
exscinderent. Veterum novorumq; morum reputatio ele-
gantissimo simili rem complecti, & proponere docet. Ru-
bo felici scholam, extantibus hic rosis, foliis & spinis, scho-
larum membra, commode comparat. Elegans documen-
tum dat, apes hinc mel colligere, araneas venenum:
can-
thari-

tharides & scarabæos hinc mortem, plures vermiculos ali-
 menta petere. Nec minus deinde, nec maius R. C. literæ
 muneric subeundi rationem describentes, exquirunt. Re-
 verenter & cum obsequio sub directione Numinis si illis
 circulis inhæserimus, dupli commodo certo certius bea-
 bimur. In columem conservabimus, quantum per huma-
 nas vires licuerit, officinam sacram: Patronorum favorem
 constantem retinebimus. Ex alto utriusque salutem sperare
 opus erit. Blanda parentum nonnullorum indulgen-
 tia, eam fovere consuevit opinionem, suos esse ea ingenii
 felicitate, ut circa ipsos neutquam opus sit aliqua saltem
 disciplinæ parte, quales infra dabimus. Præterquam au-
 tem quod sacer codex, nullos juniores eximios à disci-
 plina constituat: prudentes scholarum Ephori, inque his,
 vos observandi Domini, leges tulerunt, universo cœtui,
 quid utile, nec ne, ostendentes, cum doctrina disciplinam
 seriò conjungendam imperantes. Solatio & excitationi
 præceptorum, dari ingenia, quæ nurui parere noverunt,
 verum quidem est, sed in frequentissimis scholis ea com-
 mode sub numerum solent coire: exiguis talium nume-
 rus vim haud infringere, legum & his innitentis discipli-
 næ necessitatem tollere non poterit. Pro moralium pro-
 positionum indole, quod plerique reqvirent, universis de-
 stinatum censi jure maximo poterit. Per quam freqvens
 est, & summe necessarium, tutelæ divini Numinis, publi-
 cis precibus non solum, sed & privatis commendari salu-
 tem juventutis. Hæc cum triplici potissimum sit differen-
 tiâ pro studiorum varietate, quibus mentem manumque
 consecrat, liberalium amore artium ducta, manuarias tra-
 ctatura artes, nullam notatarum amplexura, delicias &
 otium, ast cum maximo coque subito non solum damno,

sed

sed dedecore, sectans. E re maxima est publici commodi-
 indicum omnibus omnino parentibus mature constare.
 sui, in spem societatis, cuius membra educandi, qvibus te-
 neantur studiis: spem velint ne alere, an eandem fallere.
 Documentum desideratissimi hujus negotii, dabit schola,
 doctrina in hac vigens, cum socia & sorore disciplina, sa-
 tis liqido ostendent, ex qvibus lignis Mercurij futuri,
 qui serram & dolabram Præceptorum haud laturi, extra
 literarium ludum culturam aliquam qvæsituri, aut impa-
 tientes doctrinæ & disciplinæ, speciem hominis tantum
 præferre voluerint. Retentis frugi ingeniis, alegatis
 sequioribus, specimina pietatis & eruditionis edi possunt,
 de ludi literarii incolmitate constare potest doctrina &
 disciplina, hanc clarissime probantibus. Est affine huic
 commodo aliud, ad ipsa scholarum viscera pertingens,
 dum discrimin statuit inter harum curias sive classes. Pa-
 dagogiorum, Gymnasiorum, Trivialium nomine ve-
 niunt, ludi culturæ ingeniorum destinati, discrimin pen-
 det à doctrina & disciplina. Puerilia ingenia aliter alun-
 tur, aliter emendantur qvam adultiorum. Ex ephebis qui
 egressi sublimiorem gradum utriusque desiderant. Ado-
 lescentes qvos vocamus, sibi vendicant climatam & à cu-
 ra singulari profectam utramque & institutionem & cor-
 rectionem. Quos rerum humanarum arbiter laboribus
 scholasticis æstimandis destinat, hi sit vel annuo tantum
 spatio, nonnunquam versati in pulvere, ab usu vitæ in hoc
 confirmantur. Discunt singulis bonis erudiendæ juven-
 tuti electi, inter multa quæ famam decusque scholis con-
 ciliant præcipua esse & manere duo celebrata columnæ,
 & vacillante alterutra in ruinam pronum, licet maximo
 molimine suscepit scholæ systhema. Alatas mentes
Plato.

Soritis

Platonis, & eas quibus alæ deciderant in scholis hodiernis, magno cum dispendio temporis & laboris adhucdum mixtas, discernuntur. Quæsiti rudiores per ea loca, in quibus Musis mansuetioribus hospitium præbetur: par fulcrorum nostrorum respicientes, judicium ferunt, cui haud facile prudentissimi quique refragantur. Adeo in oculos incurrit, si justa ratione & methodo, animi juveniles in viis doctrinæ deducantur: & quæ circa vitam tortuosa prorumpunt, castigata disciplina tempestive emendantur. Fama doctrinæ ne senio marcescat; sed ut laurus perpetuo vigeat, hi etiam, quibus rarum cum bonis literis commercium, tamen quoties occasio offertur, deprædicare debent. Multa apud multos deprehenduntur monita, secundum quæ in maxime necessariis nostris requisitis sit progrediendum: siquidem in manibus sunt Ludovici Vivis elegantissimus liber de ratione studii: Erasmi Roterodami de ratione studii, ac legendi interpretandique autores. De instituendis pueris: Modus repetendæ lectionis: Jacobi Sadoleti de liberis recte instituendis: Melanchtonis de studiis corrigendis: Rudolphi Agricolæ de formando studio: Hegendorffini de instituenda vita, & corrigendis moribus juventutis: Otthonis Brunfelsii de disciplina & institutione parænesis: Christiani Theodidaæti, quo pacto pasto ingenui Adolescentes formandi sint: Petri Pauli Vergerii senioris de ingenuis moribus ac liberalibus studiis. Jovitæ Rapacii de liberis publice ad humanitatem informandis. Sebaldi Heyden pædonomia scholastica, quam Senatui Noribergensi, cuius scholæ per XXV. annos, illam prælo committens, præfuerat, obtulit. Superius seculum jam utilissimos hosce labores tulit, spirantes veram pietatem, vitæ integritatem, eruditioñem è genuinis fontibus deductam. Felicissimus in Belgio juventutis Do-

B. actor

actor Caspar Barlaeus, methodis studiorum nostrum seculum illustavit, quas quidem statuit juvenum Principum studiis, ita tamen, ut & inferiores iis commode uti queant. Naudæus de studio liberali syntagma edidit. Leonardi Arctini de studiis & literis opusculum habemus. Scioppii Consultationes de studiis & literis teruntur eruditorum manibus. Atque, in quo Juliæ nostræ lumen & splendor fuit, Johanni Caselio debemus aliquot circa nostrum negotium auro contra cariores libellos, quos cum aliis, per superiores Facultates manuductionibus celebrium fama & literis virorum, Elzevirii quinquennio ante dimidium hujus seculi, ediderunt. Non parum utilitatis conferunt Antonii Possevini Cultura ingeniorum, Scrutinium corundem Huardi, Icon animorum Barclai. Non est hujus loci Bibliothecas excutere, nec hoc labore opus est. Rev. C. in epitome quæ & qualis doctrina esse debeat, consignatum habet, disciplinæ & robur addunt leges, & limites huic præscribunt. Descriptio habendæ institutionis à viris omni laude majoribus profecta, cuius fructus multis in locis diu admodum in aprico jam tum fuit, documentum dat, Venerandos Dominos Patronos conformationem studiorum amplecti, methodumq; receptis alibi docendi rationibus respondentem maximi facere, eandemque primum fundamentum rei suæ scholasticæ statuere. Quæ hic commodissime dicerentur de propensa vestra in negotium scholasticum voluntate, ad vos, Gratiosi Domini, minime prædico, ne assentari videar; prædicabo, cuim locus erit ad alios, quo magis innotescat, quanti Vos honesta studia atque ipsam culturam ingeniorum, & puerilium & juvenilium faciatis. Gravissimis de hoc monitis Pythagoræ & & S. Chrysostomi, quæ gloriofissimæ memoriarum Princeps AUGUSTUS vere Augustus, constitutioni de rebus ad scholas

Scholas pertinentibus ad calcem addi fecit, consilia vestra ita quadrant, ut docturi & doctrinas hausturi, capropter in solido gaudio, cum antiquis, intus nobis & Musis canere queamus. Levati estis sollicitudinibus, si ad mentem perspicacium & fidelium celebratorumque virorum semina pietatis, artium & honestatis instillantur, securos hoc reddidistis parentes alumnorum. Alacres praceptores hoc redditis, enixe allaboraturos, ut, quæ alibi exstant è simili methodo promanantes, felicis eruditionis partes, & hic in conspectum venientes deprehendantur. Levatis magnis oneribus docentes, in dubiis statuâ Mercuriali ostensa. Tanquam aliquod Gorgonis caput consilium opponi poterit omnibus, qui clam palam nobis impedimento futuri. Assiduitas & constantia laborandi solet abesse à nonnullis adolescentibus: qui aliás avide proposita hauriunt: illis addubitatio comes esse solet quasi vel non necessariis, vel minus utilibus sufflamentur, aut nimis diu alligati ad hanc illamve studiorum partem detineantur: illa bona eruditionis remora radicitus evulsa, detruncabitur, intempestiva hi quoque cura levati. Ejusmodi curæ, qui justo diutius maneret obnoxius, legum sentiret acrimoniam, vocandus sub censuram disciplinæ: Et vero hæc quomodo commode instituatur & geratur, reliquum est in oratione. Quicquid igitur cursus illius celeriter perstringam, incidamus enim oportet non pauca, ne nimis sero ad extrema veniamus, & præter vestram, Domini Patroni observandi, Amicique colendi, expectationem & promissum meum hic agatur. Inertia & nequitia sunt, quæ scholis maculas addunt, nec hoc solum præstant, sed & corrumpunt. Ne itaque per hæc vitia detrimenti quid capiat societas scholastica, serio & cito despiciendum. Sunt qui de Demosthene referunt, viam ad

malum præposuisse ipsum viæ incuriam Atheniensium, quod ibi molesta occurrerent, & Reipubl. vulnera consananda. Non licuerit homini Christiano hoc effugium quærere, siquidem manifesta ipsi divinæ directionis signataque licet proposita gravis adversaria, tamen masculine quod est officii & postulantis necessitatis, cum Deo aggrediatur. Pietas mentis est, & probitas morum, quæ in vita adolescentis studiosi conspicua esse debent, & huic cum eleganti eruditione nomen & famam conciliare. Præviis piis precibus, si officium aggressus fuerit, inque eo sedulus futurus, angeli destinati servitio studiis dicati, semper huic aderunt, immunem eundem præstabunt, à fraudibus malorum spirituū pessimis exemplis semper in pejus ruentis mundi, & carnis semper mala machinantis illecebris. Leges scholasticas si animo semper proposuerit ad illas vitâ & studiis composita, honesta bonorum exempla non parvi faciet, sed & in lubrica & imbecilli adhuc ætate exprimere talia conabitur. Monita & adhortationes suppeditatas in concionibus, lectionibus sacris & profanis, instar spoliorum Ægypti, apud nos existentibus ad animum quisquis serio demiserit, sobrietati ac temperantie deditus manet Deo gratus, hominibus acceptus, sibi studiosi, studiosi nomen peperit, ornamenta nactus, nullo incommodo peritura. Hi frugi in spem patriæ educandi, cum talibus versari jucundum, non pauci horum variarum disciplinarum sistent chorum. Animæ talium ut à circumfuso aëre visus lumen, à disciplinis liberalibus subitum accipiunt, arduam virtutis viam cum gaudio carpent, ad ipsam eruditionis & virtutis arcem hilari grassabuntur animo, laurum & coronas pro meritis reportabunt. Contrariis autem moribus & animis præditi, per certos gradus disciplinæ legibus contineti solitos, corrigendi, increpandi, dedolandis,

landi, excludendi. Non incelebres juventutis Doctores ex aliis sic didicisse, & ab usu vitæ in hoc confirmatos se fuisse, afferere solent, insolentiæ morum & negligentiæ admonitionibus tempestivis & seriis obviam eundum. Ad suffragium vocant Fabium dicentem: Præceptor qui sæpius monuerit, rarius castigabit. Oculos ergo intendendum in actiones juniorum in schola, in templis, in plateis, domi; Præceptores itaque, notatores, pædagogi, ipsi demum parentes quod sedulo agant, semper habebunt. Admonitionibus qui locum dant, bene sperare de sc jubent, quotquot sui curam gerunt. Hasce qui respuunt, aut ad has vitam non emendant, indicium faciunt, rationem & voluntatem se non accommodaturos ad monita: horum corpori & sensibus adhibenda tum disciplina, natis in illum usum sceptris scholasticis. Præsidium hæc coimmobant liberalibus & verecundis, supplicium sumunt ab iis, qui coacti suum officium facturi. Imperium autem quod amicitiæ adjungitur, si florere potest per ordines juniorum, gravius & stabilius æstimatur, cum sene, quem Comicus introduxit, imperio vi quod fit. Gregorius Nazianzenus, in quo eximiam cum pietate in dicendo vim se non satis admirari posse, Heinsius fassus est: Πᾶσα ψυχὴ ἀνθετήτως ἀθεράπευτῷ dixit. Experto huic credere possumus, respuentem cohortationes medicam manum non passurum, non pervenire ad frugem vel aliquam, ne dicam bonam. Pro eo quod suis hic sensibus abundans, meminisse deberet, sc Deo Creatori pro collatis in se beneficiis gratias debere, has persolvi non posse, nisi quæ dona labefactata deducantur ad meliorem statum per institutionem: Diaboli fraudibus cadit, imo succumbit. Ex ordine & prudenter cum pube scholastica agentes, ub admonitionibus non statim pergere solent ad ferulam. Æmulationem in-

tercalare amant & deminutionem. Juniores calidi natura, cupidi honoris & victoriae, in agendo dignitatem spectant, aliis se præstare autumant. Ingentem itaque utilitatem scholis præbet, si in æmulatione melioribus locum iners aut petulans cum pudore relinqvere debet. Erectæ indolis qui sunt, hæc tantopere exstimulat ad pristinos officii labores, ut præceptor hinc sæpius afficiatur. Deminutio in ultimum locum, tardum & legum præscripta non venerantem, detrudit, Hanc rarius incurret melior indoles: qvod si autem hoc fieret, observarunt Magistri juventutis, non habendum hic discriminem extremum cuivis delinquenti occupandum: ast ne frangantur animi, spem pollicentes, non idem omnibus tempus in locis ultimis, alii cubi denominatis, à pictura aut qvodam emblemate, ad evolandū hinc impellente definiendum. Ætate proiectior si admitteret qvicqvam adversus leges, destinatum est huic ex ante dictis, qvod congruens censebit prudens Magister: motus iis, meliorem mentem si sumet, salva iterum res est; redeuntem autem ad vitia, pœnitentia manet & exclusio. Illa in cœtu publico apparere debet; ruborem & lacrymas extortas vidi in duræ quamvis cervicis hominibus. Injungebantur his publice recitandæ orationes bene longæ; Nonnullis elaborandæ dabantur tabulæ Geographicae, publico postmodum usui dicatae. Pollicitatio emanationis vitæ publica hic necessaria, & si quæ alia ingenium tortuosum desideraret. Epithemata ut variant circa corpus morbidum versantes; ita horum exemplo animorum cura, qvibus credita, modo ad hanc, modo ad aliam curationem deducuntur. Descriptæ pœnitentiæ nisi respondet vita composita, in nonnullis Saxonum scholis subseqvi solet transmissio ad pastorem Ecclesiæ, jubeturq; peccans confugere ad sacram confessionem, utique S. ab solu-

Solutione & S. Eucharistia. Pædonomiæ quædam ita pro-
 cedendum svalent. Deus dirigat omnes, in primis no-
 stros, hisce mediis supersederi queat; atque si votis vel-
 let respondere eventus, equidem ex animo vellem nul-
 lo unquam tempore ejiciendus è cœtu & schola hac ali-
 quis esset; quo majori tranquillitate opus quisque suum
 urgere poterit, tanto propinquius divinæ benedictionis
 specimen habebimus, in quibus Dominis Patronis de sua
 cura, de impensis semper omnino poterit constare. Addu-
 cenda hîc fuissent multa de exclusione, quando & quo-
 modo locum inveniret, de catalogis ingratorum, notatio-
 ne absentium, de fériis peccantibus non concedendis, de
 jejunio aliquibus statuendo: nisi Aristophanes aurem vel-
 licaret, & τῷ καιρῷ δελένει insuraret: cui dum obse-
 quendum censeo, Vobis, Domini summè Reverendi &
 Patroni honoratissimi, gratias ago maximas, quod be-
 nevolas aures tantum mihi commodare volueritis. Ut in
 literis, ita hic profiteor publice unicum hunc scopum, hanc
 unicam cynosuram fore studiorum, conatum & laborum
 meorum, ut quantum vires sufferre valebunt, juventutem
 fidei meæ credendam congrua & utilia docere possim.
 Vos, Rev. adm. Illustres & gratosi Domini, sic existima-
 re debetis, totam me fortunarum spem, honoris adju-
 mentum, industriae præsidium in vestra authoritate col-
 locasse. Vobis fatus ingressus sum novum iter & curri-
 culum. Vestra virtus, vestra autoritas fecit, ut haud diu
 dubitarem, circa mutandas vitæ studiorum & fortunarum
 rationes. Dominos Collegas officiose & amanter roga-
 tos volo, ut me legitima ratione hanc in stationem col-
 locatum, æquitate tolerent humanitate amica & solita la-
 borandi alacritate posthac sublevent, opera & consilio
 præsto sint, candore denique ubi opus est, amanter admo-
 neant,

neant. Mea vicissim non fucata humanitatis officia, mea studia qvocunque loco & tempore dabitur occasio, certissime omnibus & singulis constabuut. Vobis, lectissimi Juvenes, ducem in viis pietatis & bonarum artium me futurum profiteor: neque gratius mihi qvicquam erit, quam in iis partibus eruditionis, qvæ vestræ ætati destinatae, vobis vestrisque commodis consulere. Ipsum me & quocunque potero, vestrī studiis do, dico, consecro, de vestro amore & discendi promptitudine omnia mihi secunda polliceor. Quandoqvidem vero ira comparata res humanae, ut cum alia consilia, labores & conatus nostri, tum vero in primis difficultissimus docendi labor frustraneus sit, nisi Deus successus moderetur: Idcirco Te Deus æternæ totū peccatore supplices veneramur, conservare velis Summe Reverendum & Illustre Capitulum Halberstadiense: praestes salvos & incolumes Dominos gratiosos, des vitam diu- furnam & tranquillam, omniqve bonorum genere bees, quo sub earundem patrocinio nobis liceat pie & pacate degere. Faxit Cathedralem scholam perpetuo esse pietatis, modestiae & humanitatis palæstram, ex qua nunquam non magno numero prodeant; qui bene capta & culta hic humanitatis studia in regiis scholis ita perpoliant, ut opere illorū laboranti patriæ & Deo digne olim inservire queant, sospita, protege & fulci omnes bonarum artium patronos & cultores, benedic laboribus docentium ac discen- tium, rectis studiis nunquam desine benignè adspirare.

F I N I S.



CLARISSIMO VIRO

DN ARNOLDO RET- BERGIO

Quondam Collegæ suo in Pædagogio
Svavissimo

Deinde Rectori Northeimensi, nunc ad Recturam
Scholæ Cathedralis Halberstadensis abeunti

Felicitatem omnem precor, memoriam mei commendabo.

Animumque & officia amicitiae non fucatæ polliceor

HENRICUS TOLLEN GOTTING.
PÆDAGOGIARCHA.

Nondum ter decies amica noctis
Pleno cornua junxit igne Luna,
Quando GOTTHIACAS valere Musas,
Paulinumque peristilon jubebas;
Primam continui scholæ laboris
Inter gaudia recreationem:
Discessu, fateor, tuo dolebam
RE T BERGI; caruique permoleste
Curarum socia fidelitate,
Quas tum sæpe lepos tuus levabat.

C

Sed

Sed solamen erat locus propinquus
 Et quod Filia Te sinu foveret,
 Cujus me Genetrix sinu fovebat,
 Et quod Tu patriam tuam doceres,
 Flagro sicut ego meam docere.
 Nunc qua me facie putas videre,
 Quod, caris ita patriæ camœnis,
 Natalique solo cito relictis,
 Laini longius abstraharis ora,
 Forsan non iterum mihi videndus?
 Nam vitæ ratio, salus juventæ,
 Montes Hercyniæ, Domus pudica
 Forsan colloquium mihi negabunt.

Ast cum sancta Dei ferat voluntas,
 Et major Tibi messis offeratur;
 Felix ito! Deus tui benigne
 Fortunare velit laboris æstum,
 Magno cum juvenum bono bonorū.
 Si non ulla; dies amica sanctis,
 Exoptata piis, dies beata
 Nos certe sociabit in perenni
 Lumine, quando mite Numen
 Vult abstergere pulverem scholarem.

46 (o) 50

101 VIRO CLARISSIMO

DN ARNOLDO RETBERG

Collegæ suo quondam in Illustri Gotting.

Pædagogio,

AMICO INTEGERRIMO & longe
CARISSIMO,

S. D.

JUSTUS à DRANSFELD.

Sic est: Lyceum sustinent duo fulcra,
Cultura pubis gnava personans verum,
Et Disciplina legibus suis nixa.

Jungantur illa semper atque conspirent.

Rectus docendi trames ac salutaris

Ducat juventam, quem facer Dei Codex,

Quem monstrat Hellas prisca, prisca quem Roma,

Quem Belgium, quem JULIAS, parens diva,

Vindex & artis optimæ propagatrix,

Patriæque fulgens gemma, laudat, extollit.

Vitetur omne frigidum, scabrum, pravum,

Quod STRIBILIGO nominatur antiquis.

Legum catastæ literarium stringant

Circum, mali quod semen emicat cunque,

Tollat Magister, nec tamen ferox prorsus

Specm quasset omnem, sed, bonus velut Pæon,

Curet, quod ægrum quodque langvidum sentit.

At si quis adsit NATTA, cuius increvit

Fibris optimum pingve, qui reluctatur,

Dolabram magistri non ferens, hic exesto.

Sermons



Sermonē doctō pandis illa, RETBERGI,
 Specimenque præbes, quo scholæ modo posthac
 Sis præfuturus, quaque regula Rector.
 Res laude quavis major est, Cathedralis,
 DOMINO sacratus, Ordo quod reformare
 Inter satis, inter arma vicina,
 Parat Lyceum, porticumque COLLEGI
 Musis redonat. Induit repurgata
 Collegium sic ora, sic docentium curis
 Gaudet renasci. Regula sacra tali
 Pius Hildegrinus, integerque Titgrinus,
 Et doctus Haymo ceterique sunt usi,
 Et elocarunt tempus omne doctrinæ,
 Orbemque libris editis repleverunt.
 Nec tu, polite Vir, ferendus es laude
 Parva, tuam quod consecras juventuti
 Vitam, labores nec fugis catenatos,
 A queis abhorrent plurimi velut Dite,
 Quo plus laborum restat atque diffundit
 Se latius mons Pierus, tuos urges
 Ausus, novaque luce laudis accendis,
 Phœbi labores conscius Deo gratos.
 Tu maete tali laude, tu nova Sparta
 Decorus orbi fœnerare te totum.
 Ut Lainus atque Rhuma, sic tuum nomen
 Holtemie post latius cœlebrabit.

F I N I S.

78 L 1785

ULB Halle
002 402 807


3



8b

Rho ✓
VDT77





Farbkarte #13

B.I.G.

Black	White	3/Color	
Magenta			
Red			
Yellow			
Green			
Cyan			
Blue			

